

Petrus Martyr "De orbe novo decades" (1516)

Kolumbus landete am 12.12.1492 auf der Insel Hispaniola (Haiti)

INDIANER ALS NATURVOLK

Ibi primum ad terram egressi homines indigenas viderunt, qui venientem inauditam gentem conspicati facto agmine in condensa nemora omnes, veluti a canibus Gallicis timidi lepores, sese fugientes recipiunt. Nostrum multitudinem insecuti mulierem tantum capiunt. Hanc cum ad naves perduxissent, nostris cibis et vino bene saturatam atque ornatam vestibus - nam ea gens omnis utriusque sexus nuda penitus vitam ducit natura contenta - solutam reliquerunt.

Quom primum ad suos mulier concessit (sciebat enim illa, quo fugientes diverterent) ostenditque mirum esse nostrorum ornatum et liberalitatem, omnes ad litora certatim concurrunt; gentem esse missam e coelo autumant. Aurum, cuius erat apud illos aliqua copia, ad naves natando portant: pro frusto aut paropsidis fictilis aut vitrei crateris aurum commutabant. Si ligulam, si tintinnabulum¹, si speculi fragmentum, si quicquam aliud simile nostri impertiebantur, tantum auri, quantum petere libebat aut unusquisque eorum assequabatur, exhibebant. Cum iam res ipsa ad familiare commercium devenisset et gentium mores nostri perquirerent, reges habere gentem illam per signa et coniecturas cognoverunt.

E navibus descendentes nostri a rege et reliquis indigenis honorifice recipiuntur. Nostris omnibus, quibus poterant et sciebant, modis assurgebant. Sole ad occasum vergente nostris dato salutationis angelicae² signo genua Christiano ritu flectentibus itidem illi faciebant. Crucem, quocumque modo Christianos colere conspicerent, adorabant.

Ex navi, quam saxo illis diximus, nostros homines et quicquid in ea vehebatur, ita celeriter atque animo laeto gens illa in terram suis lintribus: quas canoas vocant, eduxerunt, quam affines affinibus apud nos nulli maiore misericordia tacti succurrant.

Esse non longe ab illis insulis quorundam ferorum hominum insulas, qui carnibus humanis vescantur, fama didicere; id esse causae, quod ita trepidi adventantes nostros confugerent, postea rettulerunt, Canibales arbitrati: sic truculentos illos sive Caribes vocant.



Holzchnitt aus dem lat. Kolumbusbericht (1493)


Juan Ginés de Sepúlveda

„De rebus Hispanorum gestis ad novum orbem Mexicumque“

*Hernán Cortés (*1485 † 1547) war ein spanischer Eroberer, der als solcher 1519/20 das Aztekenreich in Mexiko eroberte. Er wurde Generalkapitän und Gouverneur von „Neuspanien“ und entdeckte 1536 das südliche Kalifornien.*

¹ tintinnabulum: Klingel, Schelle

² salutatio angelica: abendliches Dankgebet



Tempelbezirk von Tenochtitlán (Rekonstruktion)

Cortés in Tenochtitlán (Mexico) 1519 – nach dessen eigenem Bericht

INDIANER ALS HOCHKULTUR

Ceterum nulla re magis Mexicum quam templis decorabatur frequentibus, turritis et magnifice constructis. Deorum, quos barbari colebant, imagines ex omnibus frugum seminibus molitis et immolatorum hominum sanguine commistis conficiebantur statura humana aliquanto proceriores. Ad has rem divinam facientes victimas humanas cottidiana fere consuetudine, ut diis omnium gratissimas, immolabant; quarum exsectis pectoribus eruta corda diis offerebant, ac de sanguine de cordibus effluente facies imaginum perungebant.

Horum signorum magnus erat in templo maximo numerus; quo ingressus Cortesius eorum, qui barbaris in maximo honore erant, imagines e sedibus suis deturbari et per scalas praecipitari iussit.

Sed Mutezuma, qui cum multis principibus aderat, rogare eum ac liberius obtestari coepit, ut temperantius ageret neve committeret, ut diis patriis violandis popularium animos offenderet odiumque in se concitaret metuentium, ut esset necesse, ne dii, si quam iniuriam cives inferri sibi paterentur, irati, quas fruges tempestivasque pluvias tribuere consuevissent, denegarent, agros siccitatibus tempestatibusque vastarent et civitas fame deperiret.

Contra ea Cortesius respiscere eos aliquando iubet et Deum verum agnoscere; quos autem ipsi colerent, opera esse hominum manufacta et ex rebus immundis foetidisque conflata. Unum illum Deum esse colendum, non victimarum sanguine, praesertim humanarum (quod esset impium et nefarium), sed virtute et pietate ac innocentia, quibus rebus facile possent cuncta bona ab eodem impetrare.

Hac oratione victus Mutezuma: "Nos", inquit, "ut ante dixi, non indigenae sumus harum regionum, sed advenae ex longinquis finibus advecti, et fortasse veram religionem dedimus et in errore versamur. Vos igitur, quos veram religionem retinere ac Deum prudentius colere probabile est, quid ei gratius et quid optimum factu sit, considerabitis et statuetis; nos a vobis edocti sacrorum ritum et vestram colendi Deum consuetudinem aemulari non gravabimur."

Sacellis igitur, quae humano sanguine madebant, purgatis Cortesius Christi ac Virginis Matris imagines reponere et per eas verum Deum Mutezumam, qui rebus omnibus cum Cortesio interfuit, ceterosque barbaros venerari iussit ac, ne victimas humanas amplius immolarent, ut impium et nefarium sacrificium vetuit interdixitque, cui praecepto barbari non gravate obtemperarunt.